



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 3. Parisini Parlamenti motus contra hoc Universitatis decretum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

tutio pure & simpliciter recepta fuit, Sæc. XVIII.
 omnesque appellationes ab ea inter- A. C. 1739.
 positæ fuerunt revocatæ: Inde maxi-
 ma celeberrimæ huic Universitati glo-
 ria accessit, ac prospero hujus negotii
 successu præcipue Vantadourius Rector
 immortalẽ sui nominis famam sibi
 conciliavit, non modo a Flet ryo Car-
 dinale, sed ab ipso etiam Galliarum
 Rege amplissimis encomiis honoratus,
 eoquod rem, quæ per integrum ferme
 sæculum innumeris dissensionum turbis
 Ecclesiam, Regnumque involvit, tam
 dextre, tamque feliciter composuisset.
 Pariter gratulatorias literas paterno af-
 fectu plenas ab ipso summo Pontifice
 recepit, ejusque nomen Romæ in pu-
 blicis Consistoriis, & Purpuratorum
 Congregationibus non sine maxima
 laude celebratum est.

§. III.

*Parisini Parlamenti motus contra hoc
 Universitatis decretum.*

Adversus hanc Universitatis declara-
 tionem vehementer reclamabant
 circiter centum quatuordecim Docto-
 res, qui solemnem suam oppositionem
 Vantadourio Rectori tradi curarunt, qua
 tamen rejecta ad Parisiense Parlamen-
 tum adjecto libello supplici provocarunt.

Hist. Eccles. Tom. LXXVI.

S Ho-

Sæc. XVIII.

A. C. 1739.

Horum vero pervicacia tantopere Regem offendit, ut Gibertum Universitatis Syndicum, utpote præcipuum rebellionis caput, transmissis Regii mandati literis Antiffiodorum in exilium amandaret, ac ceteris, nisi a sua oppositione desisterent, parem pertinacitæ pœnam interminari juberet. Hoc Regis exemplo animati Franciæ Prælati, aucto Religionis Zelo Quesnelianæ factionis pestem penitus eliminare adlaborabant, eorumque septem scilicet Amianus, Massiliensis, Laudunensis, Nannetensis, Catalaunus, Doleusis, & Bolognensis Episcopi hoc anno edita Ipris epistola declararunt Appellantes ipso facto esse suspensos, & si Bullam recipere renuerent, aut scripta contra illam pertinaciter retinerent, Sacramentorum usu, sacraque sepultura esse privandos. Attamen Parisiense Parlamentum, cum inde auctoritati suæ in res sacras arrogatæ novum vulnus infligi crederet, horum Prælatum epistolam edito decreto suppressit. Nihilominus Laudunensis Episcopus, Ecclesiæ causam, & Episcopalis Ordinis jura imperterrito pectore propugnare assuetus, mox aliam edidit Instructionem Pastoralem, in qua declaravit, Appellantes esse hæreticos, schismaticos, pertinaces, proin in vita com-

munione cum fidelibus, & in mortis Sæc. XVIII.
 etiam articulo Sacramentis Ecclesiæ, A. C. 1739.
 & post mortem sacra sepultura privan-
 dos. Sub idem ferme tempus in Præ-
 fectura Villæ - novæ Regiæ Parochus
 obstinato cuidam Appellanti infirmo
 Sacramenta administrare recusabat;
 quo tamen comperto mox Boulartus
 Criminalis fori Præfectus die vigesi-
 ma quinta Augusti suburbico Parocho
 præcepit, ut sine ulla tergiversatione
 Eucharistiam ad hunc infirmum defer-
 ret: Obstiterat acriter Episcopus, at-
 que ad ipsum Regem adversus sacrile-
 gam hanc violentiam questum ibat:
 mox ergo tota rei serie maturius pon-
 derata, Rex die octavo Septembris
 adversus laicæ potestatis usurpationes
 Ecclesiam ejusque Ministros vindicare
 statuit, ac promulgato Regii Senatus
 edicto Præfecti mandatum omnino nul-
 lum, irritum, & incompetenter editum
 fuisse declaravit, certaue potestatis
 spiritualis jura enormiter violata do-
 luit, *cumque* (verba sunt edicti Regii)
protectio Regia Ecclesiæ indulta non per-
mittat, ut Rex relinquat impunitum atten-
tatum tam temerarium in jura maxime essen-
tialia annexa authoritati spirituali, sua
Majestas id severissime reprimendum censuit,
ut sicut hactenus nullum reperitur illius
exemplum, ita imposterum in nullum trahi
 S 4 *possit*

Sæc. XVIII *possit exemplum.* Eapropter Rex præ
A. C. 1739 cepit, ut Præfectus per trimestre ab
 omnibus muneris sui functionibus sus-
 pensus remaneret. Nihilominus Jac-
 senistæ Bojacensis Ecclesiæ Parochum
 ad Sacramenta refractariis admitti-
 randa adigere præsumperant, cumque
 Episcopus adversus profanum Judicium
 & violatam jurisdictionem Ecclesiasti-
 cam reclamaret, mox factiosi jus sibi
 violenter arrogatum propugnare intem-
 perant. Episcopum maledico ore tanquam
 schismatis auctorem fautoremque per-
 strinxere, & repulsam, qua petentibus
 Sacramenta denegantur, ex schismate
 tanquam malo ovo exclusam esse, in-
 jusque patronos infausto prorsus lato
 esse primos Pastores inclamabant: nec
 his contenti, eorum impulsu Parisien-
 ses Advocati facundia sine dubio con-
 ducta disertis ac copiosis, in temeritatis
 defensionem scriptum in vulgus spate-
 fere, sub hoc titulo: *Consultatio DD. Ad-
 vocatorum Curiae Parisinae de juribus Lai-
 corum Judicum in exercenda cognitione de
 rebus schismatis, & de comprimendis au-
 bus Ecclesiasticorum, qui negando Sacra-
 menta schisma fovent.*